MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80637-8

MICROFILMED 1992

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

RAST, CHRISTIAN FRIEDRICH

TITLE:

DISSERTATIO...DE INSULA NATANTE

PLACE:

REGIOMONTI

DATE:

[1707]

Master Negative #

92-80637-8

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

943G31
R18

Rast, Christian Friedrich.

Dissertatio... de insula natante Gerdaviensi, vulgo, Schwimmbruch.
Regiomonti ₍1707₎. Sq. O. ₍4₎+24+₍3₎p. 1pl.

354265

Academic dissertation at Königsberg (Ger.) university; Christian Masecovius, praeses.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 4-15-93 INITIALS: my
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

943G31
R18

943G31 R18

Columbia College
in the City of New York

Library.

874.

DISSERTATIO HISTORICO - PHYSICA,

DE

INSULA NATANTE GERDAVIENSI,

Vulgo

Schwimmbruch/

Quam

DIVINA ASSISTENTE GRATIA,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO atq; EXCELSISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO FRIDERICO WILHELMO,

REGNI PRUSSIÆ ET ELECTORATUS BRANDENBURGICI HÆREDE, &c. &c. &c.

IN REGIA PRUSSORUM ACADEMIA,

CONSENTIENTE AMPLISSIMA FACULTATE PHILOSOPHICA,

publicæ ventilationi ſubjiciunt,

PRÆSES,

M. CHRISTIAN. MASECOVIUS,

Regior. Alumn. & Commun. Convict. Inſpect. ſecund.

ET RESPONDENS

CHRISTIANUS FRIDERICUS Kaſt/

Reg. Pruſſ.

IN AUDITORIO PHILOSOPHICO

Anno MDCCVII. Menſ. Februar.

REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.

37

VIRO

ILLUSTRISSIMO atq; EXCELLENTISSIMO,

DN: ERNESTO SIGISMUNDO,

Sac. Rom. Imper.

COMITI à Schlieben/

In Aula S.R.M. in Pruſſia Camerario ſplendidiſſimo,
Præfecto in Neuhauſen & Labjau meritiſſimo,
Nec non
Præfecturarum Gerdavienſis & Nordenburgenſis Gubernatori Hæreditario, Terrarum Birckenfeld/ Glaubitten &c.
Domino Hæreditario,

PATRONO MEO GRATIOSISSIMO.

Ut &

VIRO

GENEROSISSIMO atq; EXCELLENTISSIMO,

DN: GEORGIO ADAMO

de Schlieben/

Sac. Reg. Majeſt. in Pruſſia
Supremo Rerum Venaticarum per Diſtrictum Sambienſem & Lituanicum Magiſtro, Præfecturarum Gerdavienſis & Nordenburgenſis Gubernatori Hæreditario,
Domino Hæreditario in Sanditten/Klingbeck/ꝛc.

EVERGETÆ MEO SUMMO.

VIRI

VIRI

ILLUSTRISSIME, GENEROSISSIMI atq; EXCELLENTISSIMI, DOMINI GRATIOSISSIMI.

Hance Diſſertationem Academicam de Inſula Natante, aut nemini aut Illuſtriſſimo & Generoſiſſimo nomini veſtro inſcribendam eſſe duxi. Gravis certè cauſa fuit, quæ ad hanc devotionem animum meum impulit. Veſtra enim ditio eſt, quæ lacu quodam hanc inſulam (apud exteros quoque ſcriptores decantatam) tenet, mihiq; diſputandi materiam ſuppeditavit. Vobis itaq; ſolis, Illuſtriſſime, Generoſiſſimi atq; Excellentiſſimi Domini, hæc debetur Diſſertatio, à veſtri ſtemmatis jubare fulgidiſſimo, maximum claritatis decus mutuatura.

)(2 *Hinc*

Hinc qua poſſum animi ſubmiſſione, hanc veſtram Vobis offero, Veſtro Patrocinio ſubjectiſſimè commendo, eamque ut vultu ſereno & animis benevolis dignemini, obnixè rogo; Sinite interea Patroni gratioſiſſimi, ſinite, ut hâc inſulâ natante, tanquam cortice mihi uti liceat, cujus beneficio ad patentiſſimum gratiæ & favoris veſtri ſinum appellere poſſim. Cæterum ut fortunam nunquam fluctuantem ſed ſtabilem ſemper atque immutabilem imò talem experiamini, quam priſci ſtemmatis veſtri hæreditaria virtus jure meretur, eſt quod Divinum Numen ſupplex oro atq; veneror.

ILLUSTRISSIMÆ atq; GENEROSISSIMARUM VESTRARUM EXCELLENTIARUM

devotiſſimus

CHRISTIANUS FRIDERICUS Raſt/
RESPONDENS.



A §. III.



§. I.

DE INSULA NATANTE in lacu *Gerdavienſi* in Pruſſia diſſertationem aliquam conſcribere, operæ pretium ducimus, tùm quod hujus generis inſulæ haud omnibus in locis communes ſunt, tùm quod omnes curioſi ſpectatores, quotquot eam contemplati ſunt, ſimul ejus eſſentiam ſummâ admiratione excepere. Ex quibus viri multi fuêre, & ſummâ autoritate, & omni eruditione conſpicui. Præterea hâc probè conſpectâ, & de aliis inſulis natantibus eò accuratius judicare poterimus, quarum inſignē catalogum exhibent: Clariſſimus Dn. Becmannus in Hiſtor. Orb. Terrar. Cap. V. de Hiſtor. Inſul. pag. 151. Majolus in Dieb. Canicul. Colloqv. XIV. & XVIII. Athanaſius Kircherus in Mund. Subterran. Part. I. Lib. V. Cap. II. Conſect. II. Happelius in Curioſis Relat. part. 1. pag. 797. 798. & 799. & alii plures. Quæ meditatio vel hac de cauſa haud injucunda erit, quoniam eâdem aliqua ex parte pulchros pulchræ naturæ contemplari & admirari poterimus effectus. Atq; quantumvis inſula iſta, de qua acturi ſumus, jam paulatim deficiat, in cujus defectus cauſas etiam indagaturi ſumus; tamen hoc à propoſito noſtro nos dimovere non valet, ſed potius ad illud eò magis inſtigat, perindè ac veluti alias & moriturorum effigiem deſiderare ſolemus, quâ perpetuam eorum memoriam conſervare ſtudemus.

§. II. In genere circâ definitionem Inſulæ Natantis haud anxiè laborabimus, cum quilibet, qui, quid inſula ſit ex Geographicis novit, ſimul, quid fluitans inſula ſit, ignorare nequit. Contenti ſumus definitione, quam Authanaſius Kircherus modò citato loco hiſce apponit verbis: *Inſulæ natantes ſunt, in lacubus terreſtres, ex varia levioris & viſcoſæ materiæ miſcella aggeſtæ portiones, quæ à vento hinc indè agitatæ, nullò locô firmæ fixæq; ſunt.* Et quomodo hæc inſula ſeſe habeat, in ſequentibus ſatis dilucidabitur.

§. III. Tria cumprimis nobis in hoc propoſito inveſtiganda veniunt. I. *Ortus* hujus inſulæ; II. ejusdem CONDITIO & III. DEFECTUS. ORTUM quod concernit, duo circà illum conſideranda habebimus, nimirum I. TEMPUS, quô inſula hæc eſſe cœpit, & II. CAUSAM EFFICIENTEM, per quam eſſe cœpit. Ratione prioris, temporis nempe, annus, menſis aut dies, quô orta eſt Inſula hæc Gerdavienſis, difficulter poterit oſtendi. Mirum enim ſane, nullum ſcriptorem Pruſſum de eadem quidpiam conſignaſſe, ne quidem B. M. Hartknochium, qui tamen accuratiſſimus & curioſiſſimus rerum Pruſſicarum eſt obſervator & conſignator. Equidem hic in ſeiner Preuſchen Cronica pag. 399. ex Hennenbergero pag. 139. aliqua habet de Gerdavia. Quippe refert, nobilem Pruſſum fuiſſe, nomine *Gerdaw*, à quo urbs hæc nomen Gerdavia recepit, qui, quod erat factus Chriſtianus, multa incommoda à Gentilibus perpeſſus, cum conjunge & literis Regiomontum ſeſe contulit, poſtquam ante arcem Vulcano conſecraſſet. Anno verò 1312. arcem aliam ab Henrico ab Eyſenberg ædificatam eſſe unà cum urbe penes eam, tradit. Sed hâc occaſione hic Autor neque lacûs Gerdavienſis, neq; inſulæ in hac natantis facit mentionem. Neutrius quoq; mentionem injicit ubi in eodem tractatu ſtatim ab initio pag. 9. agit de Lacubus, fluminibus ac Inſulis Pruſſiæ. Fortaſſis hæc cauſa eſt, quod ex profeſſo de Inſulis ac lacubus Pruſſiæ hoc loco agere non inſtituerit. Sed Hennenbergerus peculiarem Tractatum habet: Von den See-Ströhmen und Flüſſer Nahmen/ welche in den Preuſchen Mappen verzeignet ſind/ in quo fluvium *Ometam* Gerdaviam circumfluentem pag. 17. hiſce deſcribit verbis: *Omet* fl. R. 12 Kommt von Dringfort auff Gerdauen zur Allenburg in die Apte und folgends in die Alle. Potuiſſet hac occaſione & lacum nominare in eoq; fluitantem inſulam, ſed nec Hennenbergerus id fecit, nec ante ipſum quispiam alius. Fortas-

ſis

ſis argumentum eſt, eo tempore nec lacum Gerdavienſem, nec in eo Inſulam natantem extitiſſe. Verum hic ſeſe offert aliqua objectio: In delineatione Pruſſiæ Geographica, cujus Autorem Caſparum Hennenbergerum dicit M. Hartknoch in ſeiner Preuſchen Cronica, propè ad arcem Gerdavienſem, duplex lacus haud obſcurè eſt expreſſus. Cui occurrimus hôc modô: Fortè eô tempore cumprimis ab una parte, Orientali nempe, is extitit, ita tamen, ut non fuerit alicujus momenti uti nunc eſt, quippe in eo ſat aquæ non fuit ad molæ movendas rotas, ſicuti in ſequentibus videbimus. Si verò fuiſſet, uti nunc eſt, & inſula ornatus; profectò nec Hennenbergerus, nec alii ante eum illum ſilentiô præteriiſſent. Probabile enim non eſt, eum, qui de Pruſſiæ lacubus ac Inſulis ex profeſſo agit, omnium maximè admirandum ſilere potuiſſe. Quantum nobis conſtat, extraneorum tres ſunt, hujus inſulæ mentionem qui fecere. Quorum primùm eſt Becmannus, qui cit. loc. & pag. hæc de Inſula Gerdavienſi habet: *Alia* (natans Inſula) *iterum in Lacu Boruſſiæ ad oppidum Gerdawen, quam congruô naturæ ſuæ nomine* das Schwimmbruch/ & das Schwimmbroeck *vocant, ac Longitudinem* CCCL. & *Latitudinem* CCL. *paſſuum habet. Incolæ, ſicubi appellit, armenta ſua in eam abigunt, quæ, ſi contigerit eam à vento rurſum aliò propelli, tam diu hic morari oportet, donec aliò iterum appulerit.* Et quotiescunq; Pruſſus olim eum acceſſit, toties ex eodem conditionem hujus inſulæ quæſivit, illamq; neſcientes, ceu minus curioſos affabili riſu excepit, deinde locum hunc citavit & latinè reddidit Happelius in Curioſ. Relat. part. 1. p. 799. Deniq; libellus eſt, cujus Tit. Europäiſcher Wanders-Mann/ Autor verò Godfrid Kirchen, qui p. 64. circà finem hæc ſuppeditat: Zu Gerdauen/ welches ein klein Städtlein in Preuſſen/ iſt merckwürdig das Schwimmbruch/ oder Stück Landes/ darauff 100. Stück Vieh weiden können/ und von dem Wind hin und her getrieben wird/ worauff ich ſelbſten geweſen.

§. IV

§. IV. Ex hiſce patet, tempus, quô hæc Inſula Natans orta ſit, præcisè determinari non poſſe. Dici tamen probabiliter poteſt, ante annos 100. nondum extitiſſe, quippe ejus, ceu rei minimè vulgaris, ad minimum unus autor ex tot multis mentionem injeciſſet. Sed poſt tempora Hennenbergeri demum exordium ſuum ſumpſiſſe, præſumi poteſt. Utut autem tempus ortûs hujus inſulæ exactè definiri nequeat, videtur tamen ejusdem CAUSA EFFICIENS omninò inveſtigari poſſe. Qua in re per omnia non audimus illum Philoſophum apud Majolum differentem, qui inſularum ortum, neglectis ſecundis cauſis, aut iis obiter tantùm adductis, primæ & univerſali cauſæ, Deo, unicè adſcribere velle videtur. Verba ejus in Dieb. Canicul. Colloqv. XIV. ferè ab initio ſic ſeſe habent: *Omnia, quæ ſunt in rerum natura, Dei ſanè opera ſunt: ideò contingere poſſunt in mari multa, quæ natura ipſa operatur, ut depreſſis fluctibus fiant inſulæ, aut aucta ageſtaq; terra, neq; enim nobis conſtat, qua lege, quâq; ratione inſulas Deus creaverit.* Sequitur verò, operam impendamus, quousque nos in cauſam efficientem noſtræ inſulæ penetrare poſſimus.

§. V. A Gerdavienſibus ex traditione ſuorum anteceſſorum demortuorum refertur, olim fluvium tantùm, nomine *Ometam* A. ſive *Obemitte,* haud amplum præterfluxiſſe Gerdaviam, à meridie Orientem, fluentemq; circum Gerdaviam à parte iſta, quæ vergit ad Occidentem, & poſt rurſùm verſus Orientem ſeſe reflectentem, ſicuti ex inſpectione iconis facilè apparet. Quandoquidem verò contigit, ut propè ad alteram arcem mola B. ædificaretur, aqua verò iſta ad rotas agitandas non ſufficeret, per artem eam augmentare operam navarunt. Nimirùm à parte altera inhibuêre fluvium ometam per elevatum aggerem & cataractam, ne naturalem fluxum ulteriùs continuare poſſet, uti Litera C. oſtendere poteſt. Quô & fortè etiam concurrente vi pluviarum imbriumq; factum, ut mirum in modum excreverit aqua, ventô verô tandem repulſa ſit, ut ſuâ ubertate partem iſtam B., ubi mola conſpicitur, implere potuerit. Quâ violentiâ aquæ factum quoq; creditur, partem aliquam terræ, quam Lit. D. notat, diſruptam eſſe, eamq; inſulam natantem poſtmodum extitiſſe.

§. VI. Atq; hanc rationem ortus de nihilo minimè eſſe, facilè demonſtrari poteſt. Primùm enim neminem fugere poteſt ingens per aquas ventorum effectus. Naves enim citiſſimè abripit, fluctibus eas vel in mille partes concutit, denſiſſimos aggeres diruit, ſæpè integras regiones atterit vel abſorbet. Ita *Scaldaviam & Scuven, maris ſævitiâ in dies atteri,* ſcribit Becmannus in Not. Orb. Terrar. pag. 132. ſine dubio venti vehementiâ ſuſcitatâ. Vid. hanc in rem Autor Tractat. Les delices des Pais-Bas p. 401. Inſignem quoq; effectum ventoſæ tempeſtatis deſcribit qvispiam, in Tract. Gallico, cui Tit. Les delices de la Hollande, contigiſſe urbi Hoorn in Septentrionali Hollandia pag. 127. hiſce verbis: *En l' An. 1557. les digues s'êſtant rompües par l' effort d' une tempête la ville ſe trouva ſi remplie d' eau, qu'on crut qu'elle alloit périr.* Neq; tantùm tantus effectus eſt venti per aquam, ubi fluvius naturalem fluxum tenet, ſed & *contrà,* ubi hic ventô agitur. Id quod apparet vel ex eo, quod naves in fluminibus ejusdem vehementiâ periculo ſubjiciantur, perindè, ſive ventus flaverit ab Oriente, ſive ab Occidente, ſive à ſeptentrione, ſive à meridie. Tanta ergò cum ſit venti per aquam in terram vehementia, quid mirum & hic eum terræ aliquam partem de ripa abrumpere potuiſſe, cumprimis quod ejus collecta ubertas contrà naturam eô majori vehementia acta eſt.

§. VII. Deindè verò, neq; ſolus ventus per aquam, neq; cum hiſce conjuncta pluviarum imbriumq; vel maxima vehementia hoc efficere potuiſſet, niſi conditio terræ diſpoſita fuiſſet,

fuiſſet, ut à ripa abrumpi & abrupta inſula natans exiſtere potuiſſet. Nimirum primùm locus iſte, D. ubi inſula hæc hanc originem ſumpſiſſe creditur, totus eſt paluſtris, adeò ut à parte occidentali ad eum prope accedere non liceat, deindè ipſa terra, non eſt ſicuti alia terra condenſata & firma, ſed miræ levitatis, in conglomeratione ſarmentorum, foliorum, arundinis &c. conſiſtens. Proindeq; facilè fieri potuit, & ut vehementi aquæ recurſu abrupta ſit ab altera terra fundoq; paluſtri, à qvo retinaculum firmum habere non poteſt, & ut etiam pro leviſſima ſua natura hinc inde fluitet.

§. VIII. In hoc, quod coactô refluxu fluvii Ometæ inſula hæc Gerdavienſis exorta credatur, videtur propriam ac peculiarem ortus habere rationem. Quippe tali modô aliam qvampiam extitiſſe inſulam, vix legetur. Cœterum qvoad alias cauſas, nempe imbres ventumq; aqvarum vehementi motu terram paluſtrem dimovere à ripa, cum aliis aliqvibus Inſulis natantibus communes habere cauſas videtur. Ita ex aliis Athanaſius Kircherus in Mund. Subter. Lib. V. de miracul. Aqvæ Cap. II. Conſect. II. hæc habet : *Qvomodo autem generentur, & cum tempore corrumpantur,* (inſulæ) *diſcutiendum reſtat: Res ita ſeſe babet: Cum ferè pleraq; inſulæ natantes in Lacubus bitumine, ſulphure, nitro, & ſimili materia fœtis naſcantur ; accidit, ut primò viſcoſitate bituminis diverſæ materiæ unà cum arenis, aut luto, ſulphureisq; atq; nitroſis corpuſculis, qvæ vi aqvæ iis imbutæ concreſcunt, conglutinentur ; hæ verò ſucceſſu temporis, ſive alluvione lacûs, ſive tempeſtatibus ac ventorum vi agitatæ, vel pluviarum imbriumq; præſertim in terreno non ſaxoſo, ſed lutoſo, exeſæ tandem deciduntur ; qvod ubi factum fuit, mox etiam ex levitate materiæ, qvibus conſtituuntur, fluctuant, & ſic in inſulas natantes evadunt.* Sed refert hic autor etiam ex aliis cauſis accidentibus poſſe oriri inſulam natantem & prorſus aliô modò, nempe ut ex fundo lacûs ejusmodi terra fluitans exſurgat.

ſurgat.

ſurgat. Ejus verba cit. loco ſequuntur & ſonant hunc in modum : *Fieri quoq; poteſt, ut ſive terræ motu, ſive aliô accidente, in fundo lacus tophacea portio deſciſſa, levitate ſuâ in ſuperficiem abiens, in natantem inſulam abeat.* Aliam cauſam ex accidenti exſurgentem, quâ extitit inſula fluitans, enarrat Strabo Lib. I. Nimirum cauſatum eam eſſe ignem è mari prodeuntem, refert. Verba ejus hæc ſunt: *Inter Theram & Theraſiam inſulas in Cretico mari, è pelago proripuêre flammæ, quæ per dies quatuor mare totum æſtuans atq; ardens reddiderunt. Tùm educta altius ſenſim velut machinis inſula, & ex fluitantibus terris compoſita, duodecim ſtad. circuitum continet.* Eſt & parva inſula ferè ejusdem materiæ, cujus Gerdavienſis inſula eſt, haud procul à pago *Germavienſi* in parvo lacu, qvæ exindè ortum habere dicitur, qvod eô neglectô, ejus unda facta ſit limoſa ac paluſtris, quæ compacta partim ſole partim ventô, ex naturali ſua pingvedine herbas & frutices protulit, commodò verò & vehementi ventô exor ô, ſimul imbribus concurrentibus, vi â fundo iſtâ materià concretâ abrepta, inſula fluitans evaſit.

§. IX. Atque hæc de ORIGINE Inſulæ natantis Gerdavienſis, ſequitur jam NATURAM ac CONDITIONEM hujus inſulæ apponamus. Materia ejus aliqua ex parte jam conſtat, nimirum ea eſt miræ levitatis, in conglomeratione ſarmentorum, cannæ, calami, variarum radicum conſiſtens, quæ molli & ſubtili muſcô continentur. Multum terræ in ſe non continet, ſed levem arenam tantum & quaſi pulverē, unde & ſine dubio ipſi nomen Schwimmbruch i. e. levis materia ad natandum apta. In ſuperficie verò longô gramine, armentis haud ingratô, exornata eſt, olim & arbores quædam in ea conſpectæ ſunt, harbarumq; varia genera collecta. Communis hæc eſt materia aliquibus aliis Inſulis natantibus. Ita Macrobius Lib. I. Saturnal. Cap. VII. hæc habet verba : *Inſulam Pelagi in*

lacu

lacu Catilienſi enatam invenerunt: ampliſſimus enim ceſpes, ſive ille continens limus, ſeu paludis fuit, coactâ compage virgultis & arboribus in ſylvæ licentiam comptus, jactantibus per omne mare fluctibus, vagabatur, ut fides ex hoc etiam DEO facta ſit, quæ celſa montibus, vaſta campis, tamen per maria migrabat. Non tamen omnium iuſularum natantium hæc eſt materia. Seneca mentionem facit inſularum fluitantium, quarum materia lapides pumicoſi fuère. Ita Natural. Quæſtion Lib. III. Cap. XXV. inquit: *Sunt multi lapides pumicoſi & leves, ex quibus quæ conſtant inſulæ, in Lydia natant.* Aliam materiam obſervavit Philoſophus apud Majolum in Dieb. Canicul. Colloq. XVIII. ex ſale conſiſtentem. Verba ſic ſonant; *Præ omnibus orbis regionibus Ormutium Perſici ſinus Inſula ſale ſcatet; imò tota, cum ipſa ampla ſit, è ſale conſtat, fluitq; perpetuò, atq; in montes coagulatur, adeoq; mordax, ut præ maximò acumine, quicquid illò ſale conditur, abſumatur: nulla ob id in inſula herba eſt, avis nulla, neq; fera, imò nec cicures animantes, fons nullus potabilis; ac præ nimio calore tota fervet inſula, indigenæ perpetuò, in aquis degunt totô corpore, præter caput, demerſo. Caſpar Jeſuita anno Domini milleſimo quingenteſimo quadrageſimo nono, Surius in Comment. Anno Domini 1565.* Unde verò de ſcriptæ Inſulæ Gerdavienſis natantis materia originem traxerit, facilè dici poteſt. Dictum enim jam eſt, eam in paluſtri loco excreviſſe, quæ adhuc tum in ipſius lacûs fundo, tûm in ejus littore deprehenditur. Jam experientiâ conſtat, talibus in locis firmam & ſolidam terram eſſe, non poſſe, quippe quæ ſuâ naturali gravitate fundum peteret. Quoniam autem natura non facilè ullo in loco ſterilis eſt, ſed ubique ſuos effectus conſpici patitur; hinc etiam in palude Gerdavienſi talem fabricata eſt materiam, qualem ea ſuſtinere potuit: Nimirum conflavit muſcum ex levioribus exhalationibus & viſcoſa materia paludis, per ventum arenam miſcuit, atq;

pro

pro inexplicabili potentia ac artificio ſuo iſtam materiam, virgultis, radicibus, cannâ, ſubtiliſſimisq; fibris complicavit, ſicuti ex accuratiori materiæ contemplatione id patet. Simul deniq; eam ſolis & pluviæ mirâ operatione, calamô, herbarum variis generibus arboribusq; condecorare potuit. Atque hæc eſt materia Inſulæ natantis Gerdavienſis, cujus peculiares jam obſervandæ veniunt qualitates.

§. X. Eſto qualitas Ima, quod ſit CREMABILIS. Ubi enim ejus pars aliqua per aliquot dies fuerit ſiccata, illicò flammam concipit, ſimulac igni fuerit adhibita. Neque opus eſt hujus rei cauſam operosè indagare, cum ex primô intuitu pateat, totam materiam ita ſuâ natura eſſe comparatam, ut flammam concipere debeat. Accedit, quod res iſtæ, quæ ex pingvedine oriuntur, quàm maximè aptæ ſint, ut flammam concipere poſſint.

§. XI. Deinde II. eſt NATATILIS. Cauſam rerum natantium & fundum petentium adſcribit citatus Kircherus aquæ conditioni, nimirum ejus gravitati & levitati, illi, quâ mediante res ſuprà aquam contineri poſſunt, huic, quâ non poſſunt, ſed citò merguntur, id quod obſervatione & experimentô comprobat. Ejus verba in Mund. Subterran. Lib. V. Cap. II. p. 297. ſunt hæc: *Atq; hinc reſultant mira illa in aquis ſpectacula, nonnullis quælibet injecta ſuſtinentibus, nonnullis quælibet injecta ſubmergentibus. Cujus quidem alia cauſa non eſt, quàm gravitas & levitas aquarum; ſed ut à notioribus paulatim ad ignotiora procedamus; mirantur multi, cur navigia ex fluminibus in mare ſe exonerantia in fluminibus profundius quàm in mari ſubmergantur. Notavi id ego non ſemel & curioſè obſervavi, navigia mox ac ex Tibri in mare devolvuntur, ad duos palmos altius aſcendere & ſuprà aquas erigi; cujus quidem rei cauſæ alia non eſt, niſi ſal mari mixtum, quod uti marinas aquas denſiores ponderoſioresq; reddit, ita quoq; altius naves ſuſtinet.* Comprobat

probat id etiam aliquò experimento, quod in ſequentibus hunc in modum adducit: *Accipe duos ſcyphos, quorum alter aquâ fontali, alter aquâ ex ſale dilutâ repletus ſit. Hoc peractò projice ovum in priorem ſcyphum aquâ fontali repletum, & mox id ſubmergi videbis; projice idem in aquam ſale delibutam dilutamq; & jam id aquæ ſupernatare reperies; quantò enim aqua levior eſt, tantò facilius mergitur, & tantò facilius ſupernatat ovum, quantò aqua denſior eſt.* Idque quàm veriſſimè ſeſe habere, hâc occaſione ipſi comprobavimus. Nam in uno vaſe habuimus aquam puram, in altero eam cum ſale mixtam. In illo ergò illicò ovum injectum fundum petiit, & ita quidem, ut latere fundum attingeret. In hoc verò animadvertimus, *parum* ſalis injectô, ovum quidem fundum petere, ſed vix ſuâ extremitate eum attingere, & ita, ut ſtare videretur. *Plus ſalis* ubi injecimus, illud à fundô attolli vidimus, *adhuc plus* ubi addidimus, ovum plane altera extremitate ſeſe ſuprà ſuperficiem aquæ elevare ſpectavimus. Quoad hoc ergò ſola aquæ vel gravitas vel levitas cauſa eſt, fundum ut petat ovum vel aquæ ſupernatet. Sed in aliis & materiam natantem multum contribuere pro ſua levitate, ut natare poſſit, certiſſimum eſt. Hinq; cum materiæ Inſulæ Gerdavienſis levitatem inſignem dixerimus, ea pro ſuâ levitate non ſolùm natatilis eſt in aquâ lacus Gerdavienſis, quæ multis in locis ob paludes viſcoſa & gravis eſt, ſed & in omnibus aquis aliis.

§. XII. Cum verò materia bibula ſit hujus Inſulæ, mirum nullum eſt, materiam illam ad extremam ſuperficiem in aquam deſcendere. Utut enim denſa ſit ad ſpatium duarum ulnarum, & vel denſior, accedente tamen aquæ pondere, non niſi detrahi in aquam poteſt. Sed id videtur mirum eſſe, quod aquâ repleta, illiusq; copiâ inſigne pondus recipiens, tandem tamen fundum non petat, imò ne tum quidem, ſi quando ea jumentorum

rum paſcentium copia fuerit repleta. Eques apud Majolum in Dieb. Canicul. refert materiam natantium inſularum bibulam, & tamen natantem, ſed in cauſas hujus rei non inquirit. Ita inquit Colloqv. XIV. *Forſan terrægenus eſt ſpongioſum ſuberis modo, quod etſi aquas admittat imbibatq;, ſemper tamen ſupereminet.* Ideoque noſtrum erit, & in hujus conditionis materiæ cauſam inquirere. Sanè enim, multæ res ſunt, quæ quidem pro ſua levitate ad tempus ſupernatant, ubi verò aquæ copiam imbiberint, tandem fundum petunt. e. g. pileus, tunica, charta bibula &c. Cauſam putamus generalem hanc eſſe, quod res hæ pinguedine aut calore deſtituantur, hinc ubi aquam imbibere, graveſq; factæ ſunt, pro ſua gravitate aſſumpta naturaliter non niſi fundum petere poſſint. Nam id certum eſt, res pinguedine ac calore nanciſci quaſi retinaculum, quô ſuper aquam teneantur, etſi ejus copiam aliquam imbiberint. Ipſi hoc experimentô nobis dedimus manifeſtum. Parvam enim ſpongiam, quæ fuerat madefacta odoriferâ aquâ, aquæ ubi impoſuimus, eam perpetuò natantem deprehendimus, illâ aqua verò penitus expreſsâ, ſpongiam puram ubi in aquam injecimus, primùm quidem eam natantem, ſed ſimul ac aquam imbiberat, illicò fundum lapidis ad inſtar petentem vidimus. Rurſum eandem ſpongiæ particulam vinô aduſtô madefecimus, eamque in eandem aquam injecimus, & ecce ſubitò quidem, ubi aliqua vehementia injiceretur, fundū petiit, ſed de eo illicò quàm citiſſimè ad ſuperficiem regreſſa, in qua & ad tempus aliquod permanſit. Ex quo colligi poſſe videtur, quoniam in aquâ odoriferâ & vinô aduſtô ſpiritus quidam calidus eſt, ſpongiam eô inhiberi, ne, etſi aquæ copiam attraxerit, ad fundum tranſire poſſit. Eundem effectum deprehendimus, ſi ſpongiâ ſæpiùs abſterſa fuerit tabula cretâ illita, aut eam atramentô humectaverimus, cum primis oleum illa ubi imbiberit, nunquam ſubmergitur.

 Qui-

Quibus rebus quoniam pinguedo quædam ineſt, ea manifeſtô inhibetur, ne ſubmergere poſſit. Hinc etiam, quo magis ſpongia, vinô aduſtô, oleô ac ſimilibus rebus imbuta, repurgabatur, eò citiùs etiam fundum petiit, quò minùs verô ab hiſce repurgata erat, eò tardiùs etiam dilabebatur. Quibus experimentis præmiſſis, facilè cauſam indicare poſſumus, cur Inſula Gerdavienſis, etſi maximè bibula ſit, eôque inſignem aquæ gravitatem recipiat, tamen non ſubmergatur. Scilicet jam oſtenſum eſt, eam totam ortam eſſe ex palude, materia viſcoſa & maximè pingui, hincq; etiam multum pinguedinis & caloris in ſe habere, quibus mediantibus neceſſario ſuprà aquæ ſuperficiem continetur. Sed videtur, hanc cauſam, *ratione caloris*, non eſſe planè extrà omne dubium. Spongia enim vinô aduſto repleta, ad tempus quidem ſupernatat aquæ, tamen tandem ſubmergitur. At inſula hæc nunquam ſubmergitur. Igitur calor non eſt cauſa, quod perpetuò natet inſula. Verùm hæc objectio facillimâ reſponſione ſolvi poteſt (1.) Spiritualitas in ſpongia vinô aduſtò comparata, *eſt factitia*, inſulæ verò hujus, *naturalis*. Hinc quoniam hujus Spiritualitas perpetua, illius caduca, facile fieri poteſt, ut ſpongia, quia cauſa, qùæ eam ſuprà aquam tenet, vel perit vel debilitatur, ſubmergatur. (2) non dicimus, ſolam ſpiritualitatẽ cauſam eſſe, quod natet inſula hæc, ſed eam cum naturali pinguedine in materia natatili conjunctam, Quippe pinguedo vel majorem vim habet continendi corpora ſuper aquam qùam calor. Summum verò calorem cauſam eſſe putamus, cur iſta inſula *Ormutium*, quam §. IX. ex Majolo deſcripſimus non ſubmergatur. Ex ſale enim conſtat, quem vidimus graviſſimum eſſe §. XI. Hinc gravitatem ejus nullô aliô modò ſublevari poſſe comprehendimus, niſi quod plurimum caloris in ſe contineat, adeò, ut *præ nimiô calore fervere* ſcribatur citatò locô. Quem inſignem calorem ſingulari caſu triſti conſpi-

cuum fuiſſe, tradit ibidem citatus Marcus Polus Lib. I. Cap. XV. hiſce verbis: *Quâdam die ventô hujusmodi invaleſcente, cum repentino aëris fervore hominum ſpiritus opprimeretur, obſtructis mentibus, unô momento exanimata ſunt propè ſeptem millia hominum, quorum cadavera elixata videbantur: dilabebantur enim cadaverum membra ſolò tactu.*

§. XIII. Porrò III. obſervatur, Inſulam hanc planè *à vento eſſe pendulam*. Quippe non tantùm vehementiâ venti quàm velociſſimè ab uno loco ad alterum propellitur, ſed & levi flatu vel auræ motu pedetentim movetur. Quam verò qualitatem cum aliis natantibus inſulis planè habet communem. Ita quippe citatô loco Seneca; *Cutyliarum inſula & arbores habet, & herbas nutrit, tamen aquâ ſuſtinetur, & in hanc atq; illam partem non tantùm ventô impellitur, ſed & aura. Nec unquam illi per diem & noctem in uno loco ſtatio eſt, adeo movetur levi flatu.* Idem teſtatur Plinius Lib. II. Cap. XCV. *Quædam,* inquit, *inſulæ ſemper fluitant, ſicuti in agro Cæcubo & Reatino, Mutienſi, Statienſi. In Vadimonis lacu, & ad Cutilias aquas, opaca ſylva, quæ nunquam die ac noctu eôdem locô viſitur. In Lydia, quæ vocantur Calaminæ, non ventis ſolùm, ſed etiam contis, quo libeat impulſæ, multorum civium Mithridatico bello ſalus.* Similiter citato locô Becmannus noſtram in rem hæc habet: *Eſt & in Gallo-Belgica Provincia juxtà Audomatum Lacus ingens, Inſulam arboribus conſitam & paſcuis uberem portans, in qua oves & boves paſcuis intenti unà cum inſula, quocunq; eos ventorum impetus impulerit, agitantur. Item ad pagum Undres, quæ prima eorum ſtatio, qui celeribus equis Bajona Burdigalam proficiſcuntur, Lacus eſt Ors, in quo Inſula paſcuis apta vento ſæpiùs ab uno latere in Oppoſitum fertur.* Ex Furner. L. VI. Cap. XXXVIII. Cauſa facillima & communis hæc eſt, quod aqua res fluida & quàm maximè mobilis, facilè à leviſſimo vento moveatur, hincq; illud, quod in aqua eſt, non niſi ſimul moveri

poſſit. Hoc verò ceu ſpeciale quidpiam hic obſervandum, ante aliquot annos hanc Inſulam natantem Gerdavienſem à molitore illius loci ſubliciis defixam eſſe, quibus eam certo in loco ſuſtineret, eô ut impediret aquæ ubertatem, ne fortè eàdem agger unà cum cataracta C. dirueretur, ſed vanô conatu, quippe ſimul ac ventus exortus, illicò factum eſt, ut ſuper iſta ſublicia inſula elevaretur, ac naturali modo à vento propelleretur. Ex quô patet admodum naturalem eſſe motum inſulæ natantis à vento, adeò ut hac in parte natura vel maximâ vehementiâ cogi non poſſit.

§. XIV. Deniq; IV. nec hæc qualitas penitus ſilentiô prætereunda, quod inſula Gerdavienſis natans inſigni gaudeat PULCHRITUDINE, quæ verò olim major fuit, ac hodie eſt. Primùm enim gramen ſat altè in eadem excrevit, ut boum ac equorum pedes contegere poſſit, deindè ubi variô jumentô conſita ventô aliquô fortiori ab una lacus parte ad alteram pulſa fuit, nemo non inſigni voluptate hoc ſpectavit. Quam quoq; ex ſimili inſula natante cœpit Meretus ita ſcribens: *Talem inſulam parvam quidem, ſed quæ tamen arbores habeat, & in qua pecudes & armenta paſcuntur, in via Tiburtina ſæpè magna cum voluptate ſpectavi.* Vid. Annotat. ad Senec. Natural. Quæſtion. Lib. III. Cap. XXV. pag. m. 727. Deniq; pulchritudo ejus etiam in hoc conſiſtit, quod materia ejus tùm ex mira conjunctione cannæ, calami, virgultorum, tùm imprimis ex ſubtiliſſimis fibris, ineffabili artificio complicatis conſiſtat. Sicuti §. IX. jam vidimus.

§. XV. Cœterum adhuc paucula quædam circà ejus MAGNITUDINEM notanda veniunt. Citatus Becmannus §. III. jam ante 24. annos ei longitudinem CCCL. & Latitudinem CCL. paſſuum aſſignavit. Neque in eo aberraſſe hunc Autorem, referunt omnes ii, quotquot eam forte ante annos 8. 9. & plures contemplati ſunt. Nec diſſentire videtur citatus tertius Autor Godfried Kirchen, qui, §. III. à nobis allegatus, refert 100.

100. pecudes paſcua habere in ea potuiſſe, ad quem numerum portandum ſpatium terræ ſat amplum requiritur. Hodiè fracta eſt in tres partes majores, quarum maxima in longitudine habet CCXII. in Latitudine CXVII. ulnas. Minor verò ulnas habet in Longitudine CXLVIII. in Latitudine LXVIII. Minima ex hiſce tribus partibus Longitud. XXX. paſſuum, horumq; XII. Latitudine habet. Ubi duo notanda, primum intelligendum ſemper eſſe de *maxima Longitudine* & de *maxima Latitudine*, quia notum, eandem rem, ſæpe nec ubique eàdem Longitudine, nec per omnia eàdem latitudine gaudere. Deindè ſciendum, quoad duas majores haſce partes, quod paſſus longior ſit quàm ulna, ſicuti facilè quis hoc experiri poteſt. *Denſitatem* ejus jam diximus longitudinem duarum ulnarum excedere. Atq; hæc etiam de Inſulæ Gerdavienſis natantis NATURA & CONDITIONE.

§. XVI. Jam ſequitur, etiam inquiramus in CAUSAS DEFECTUS hujus Inſulæ. Quippe ferè in dies ſingulos diminuitur, atque in multas particulas confringitur, quas hinc indè in ripa Lit. e. e. videmus. Unde à magnitudine priſtina moderna planè differt. In genere eſt, quod ſtupeamus miram rerum varietatem, quâ Natura modò quidpiam exſtruit, modò rurſum illud vel inſigniter mutat, vel planè deſtruit, quô quaſi ludere videtur in terrarum orbe. Sunt, qui univerſam terram à priſtina conditione differre, arbitrantur, eamque jam & fractam eſſe, & prorſus aliâ figurâ externâ gaudere, ac olim gaviſa eſt, aſſerunt. Fractionem terræ quod concernit, de hac ſententias aliorum adducit T. Bornetius in Theor. Tellur. Sacr. Lib. I. Cap. III. p. 10. hiſce verbis: *Multi agnoverunt ex contemplatione montium, inſularum, præruptarum rupium & cavernarum ſubterranearum, exteriorem regionem terræ eſſe molem confractam & laceratam: quidam verò id tertio die creationis à DEO factum voluerunt, alii in Diluvio,* alii

alii in diverſis ſeculis & ex diverſis cauſis. Severianus olim hoc notavit in hexamero, his verbis: Ὅτε τ̃ γῆν ἐποίησε ὁ Θεὸς οὐδέπω ἦν τὰ κοιλώματα τῶν ὀρέων. ἀλλ', ἅμα εἶπε συναχθήτω τὸ ὕδωρ, καὶ ἐῤῥάγη ἡ γῆ, καὶ κόλπους ἐποίησε, μαρτυρεῖ τῷ πράγματι ὅτι γῆ ἐστὶ χισθεῖσα, αἱ νῆσοι τὰ ὄρη μεταξὺ. Καὶ διὰ τοῦτο καταλέλιπεν ὁ Θεὸς τὰς νήσους καὶ τὰ ὄρη, ἵνα μάθῃς ὅτι ἀπ' ἀρχῆς συνέπλο. *Cum DEus primum terram fecerit, neutiquam illæ erant excavationes montium; dixit autem, ſimul collecta ſit aquæ, & fracta eſt terra, ſinusq; fecit & cavitates &c. Et propterea, inquit, reliquit DEus inſulas & montes, ut inde diſceres ab initio, fuiſſe continuos & conjunctos. Authores quidam recentiores, qui itidem contendunt terram exteriorem fractam eſſe, id ſenſim & gradatim contigiſſe volunt, non ſimul & ſemel, neq; unica ruina ſed pluribus, variis ſecretis & ex variis cauſis ortis.* Ipſe Bornetius ſtatuit fractam eſſe terram, ſed non à DEO, uti Severianus ſtatuit, nec gradatim & pluribus ſeculis; verum à Diluvio univerſali. Ita quippe ſeqv. pag. II. *Philoſophiæ & rationibus naturalibus non ita inhæreſcimus, ut prætermittamus ea, quæ de mundi aut terræ diſſolutione tempore diluvii tradunt Oracula ſacra. Moſes memorat abyſſum diſruptam fuiſſe eô tempore, ſive omnes fontes magnæ abyſſi. Idem, aliis verbis, exprimitur apud Jobum, nempe eruptione maris ex utero terræ Cap. 38. 8. Et cum DEus minantur Diluvium Gen. 6. 13. & c. 9. 11. Dicit ſe perditurum homines cum terra. Periiſſe autem terram ante-diluvianam ſive diſſolutam fuiſſe (neq; enim perire potuit quoad materiam, ſed quoad formam) omnium apertiſſimè aſſerit S. Petrus, in capite tertio ſecundæ Epiſtolæ, ubi de Tellure ante-diluviana & hodierna, earundem diſcrimine & diverſa conſtitutione diſſerit. Cœli erant olim,* inquit, nempe ante diluvium, *& Terra, ex aqua & per aquam conſiſtentes ſermone DEI: quamobrem is, qui tùm erat mundus,* ſive ii cœli atque ea terra, *aquâ mundatus periit; qui verò nunc ſunt cœli & Terra &c.* In ſequentibus

tibus verô fractionem terræ evincere contendit ex aſpectu montium, rupium, cavernarum, &c. quæ inordinata eſſe putat, & à natura non confecta. Lib. II. Cap. V. p. 95. olim figuram terræ fuiſſe oblongam & ovalem, aſſerit, ejusq; ſchema Lib. I. Cap. V. p. 27. exhibet, ubi pag. anteced. ad Antiquos provocat, quorum alii per ovum mundum, alii tellurem, alii chaos exhibitum voluerunt. An verò hic autor in utroque rem acu tetigerit, in hac noſtra quaſi digreſſione prolixe non inveſtigabimus. Mutatam eſſe tellurem aliqua ex parte diluvio univerſali, negare vix poterimus. Sed tamen nec ſine ſumma audacia aſſerere poſſumus, à diluvio montes, terræ cavernas &c. extitiſſe, eosdemque fractam terram exhibere. Quis enim negare fuerit auſus montium & cavernarum inſignes utilitates, quas DEus, eos unà cum mundo creans, intendere voluit? Ex dictis verò allegatis, obtortò quaſi collo, terræ confractio colligitur, modò illorum ſenſus attendatur. Et vel longè difficilius probari poterit, ante diluvium terram ovi figuram habuiſſe. Eſt hæc inanis ſpeculatio, quæ firmô talô non nititur.

§. XVII. Hoc certius affirmare poſſumus, montes, fluvios, Inſulas & ſimilia opera naturæ poſſe in individuo, mutari & penitus perire, imò mutata eſſe atque periiſſe. Egregiè ex aliis Autoribus de hac materia diſſerit ſæpè à nobis jam laudatus Athanaſius Kircherus, qui Mundi Subterr. Lib. II. de opificio Globi terreni Cap. XIII. hæc habet: *Experientia omnium ſeculorum docet, Tellurem ſuos pati morbos & alterationes ex variis interioris œconomiæ diſſidiis exortas. Nam cum, ut rectè Ariſtoteles,* interiores *Telluris* partes, perindè ut animantium plantarumque corpora, juventutem & ſenectutem ſuam habeant; *rectè concludere poſſumus, Orbem Terrarum, nec quoad interiores, nec quoad exteriores partes, eô ſtatu perſeverare, quo fuit à rerum primordiis. Lactantius, fluctuantis naturæ conditionem*

tionem & mundanæ rotæ in ſtabilitatem, quâ omnia infinitis caſibus involvens, nil ſub ſole perpetuum, nil diuturnum eſſe permittit, altius expendens, ita exclamat: Enumerare poſſem, quoties repentinis quaſſatæ motibus, vel biaverint Terræ, vel deſcenderint in abruptum: quoties dimenſæ fluctibus & urbes & Inſulæ abierint in profundum, fructiferos campos paludes inundaverint flumina & ſtagna ſiccaverint. Montes etiam vel deciderint abrupti, vel planis fuerint adæquati; plurimas etiam regiones & plurima fundamenta montium latens & innatus ignis conſumit. Præterea idem hic autor adducit Senecam, Ovidiumque, ſimiliter de inconſtantia rerum naturalium loquentes. Exemplaque adducit, fluvios, montes, exortos eſſe atque rurſum periiſſe, §. nempe I. II. III. & IV. vid. & Happel. in Curioſ. Relat. p. 788.

§. XVIII. Quid mirum & Inſulam natantem Gerdavienſem pedetentim perire, nec à communi rerum naturalium inconſtantia exemptam eſſe? Cauſæ verò ejus ruinæ poſſunt adduci ſequentes: I. ſæpè Inſula à vento ad littus pellitur; hinc ubi aqua conſidet & à ripa vel retrahitur vel in eadem exſiccatur, facilè fit, ut cum fixa terra coaleſcat. Sicubi verò pars iſta, quæ in ſicca terra jacet, vel ſole vel vento ſiccata fuerit; facilè ea confringitur & ab inſula ſeparatur, ubi rurſus impetuoſò ventò inſula ſubitò & cum vehementia tollitur, ac ad alterum locum pellitur. Hinc etiam ejusdem particulæ ſat multæ in littore, quod urbem alluit, hac occaſione abruptæ conſpiciuntur, ſicuti §. XVI. jam innuimus, & in icone obſervari poteſt Literis e. e. II. Et illud ad fractionem in particulas contribuere multum poteſt, quod ſæpius venti vehementiâ Inſulæ ad littus vehementiſſima fiat alliſio. Ecquid enim tantâ gaudet firmitate, ut violentis alliſionibus confringi nequeat, quibus vel ferrum & lapides diminui poſſunt? Quantò minus mirum, ejusmodi terram, quæ

firma

firma non eſt, ventorum impetu facilè atteri poſſe? Hincque inſula hæc deprehenſa hoc tempore in tres partes majores diviſa, quod aliò modò fieri non potuit, niſi ad littus crebris vehementioribus alliſionibus. Fortè etiam III. crebrâ pecorum conculcatione ſquamoſa terra divellitur, ut eò facilius tùm alliſionibus, tùm in ripa ſiccata, à tota mole particulæ abrumpi poſſint. Priores duas cauſas adducit modò cit. Kirch. mundi Subter. Lib. V. Cap. II. p. 300. *Evaneſcunt verò* (inſulæ natantis) *ſive natare ceſſant, vel frequenti multorum annorum alliſione, tùm inter ſe tùm ad littus factâ quæ cum tempore atteruntur diſſolvunturq;, & in complures partes fractæ, littorum fixæ terræ unitæ denuò coaleſcunt.*

§. XIX. Sed præterea & alias duas cauſas intereuntium Inſularum adducit hic Autor, quippe ſic pergit: *Vel etiam hujusmodi inſulæ, nimio creſcentium herbarum, ſtirpium, fruticumq; onere preſſæ, nec non ſulphureæ nitroſæque materiæ ibidem continuò concreſcentis copia aggravatæ, gravitate Inſulæ, gravitatem aquæ, cujus locum occupant, ſuperante, ſua tandem ſponte:*

Pondere merſa ſuo fundum ſubſidet in imum.

Quæ verò poſteriores duæ cauſæ non videntur quidpiam ad Inſulæ natantis Gerdavienſis ruinam afferre. Primum non illa, quæ in gravitate creſcentium fruticum ſtirpiumque conſiſtit, quippe hiſce rebus tanta in abundatia jam non gaudet hæc inſula, in quanta iisdem olim gaviſa eſt, deinde neque hæc, quæ in ſulphure nitroſæq; materia aggravatione conſiſtit. Siquidem hôc tempore materia hujus inſulæ mirâ gaudet levitate, quæ omnis vis expers eſt, comprimendi aquam, vel per eam ad fundum deſcendendi, ut ergò ab immerſione penitus tuta videatur, niſi forte id tali modò evenerit, ut vel vehementiſſimus, & quaſi dilabens in eam ventus, ſummâ vi illam infra aquæ ſuperficiem deprimeret,

 meret,

meret, ut ſic tota inundata, majori collectò pondere aquæ, planè ad fundum deſcendere poſſet, vel ut materia hæc pinguis & non ſine calore, à pinguedine ſua & interno calore, multo tempore, aquæ efficaciâ repurgata ac pura reddita, multum aquæ inbibens, veluti aliæ res aquam imbibentes, ad fundum tandem dilaberetur.

§. XX. Antequam finem imponamus huic Diſſertationi, juvat adhuc quæſtionem, ab hac materia minimè alienam, excutere. Quærimus: *An ejusmodi inſula natans, qualis hæc eſt inſula Gerdavienſis, ſit ex Naturæ intentione aut præter ejusdem intentionem?* Sanè enim, non omnia, quæ in naturæ regno videmus, naturæ ſunt ex intentione, ſed quædam & præter ejus intentionem inſtituta eſſe poſſunt. Ita de monſtris, Ariſtoteles de Generat. Animal. Lib. IV. inquit: ἔςι γαρ τὸ τέρας παρὰ φύσιν τι. Monſtroſum eſt præter naturam. Et Lib. II. Phyſic. Cap. VIII. Tex. 82. appellat monſtra naturæ ἁμαρτήματα. Inde Johannes Magirus Comment. in Phyſiol. ſuam Lib. I. Cap. III. pag. 50. hæc habet: *Non ergò monſtra ſunt per ſe naturæ opera, neq; eadem agit hoc fine, ut monſtra producat, ſed ſunt ἁμαρτήματα naturæ impeditæ I. A materia ejusq; promiſcuo fluxu motuq;. II. ab agente. III. vel etiam continente. Ariſt. 4. de generat. anim. cap. 4.* Quibus verò & alia multa annumerari poſſunt. Verùm nos non dubitamus aſſerere, ejusmodi inſulam fluitantem eſſe ſecundum naturam & omninò ex ejus intentione. Enimverò jam vidimus §. XIV. inſulam Gerdavienſem mirâ gaudere pulchritudine, modò verò vidimus, ea, quæ præter intentionem naturæ ſunt, eſſe naturæ ἁμαρτήματα ſive peccata, quæ ab aliis *errores* nominantur. Ex quibus concludere poſſumus, inſulam fluitantem omninò opus eſſe Naturæ ex intentione.

Pro-

Profectò enim, veluti omnia hominum opera, quæ pulchra & decora ſunt, ex intentione & ſtudio effecta eſſe creduntur; ita, cum inſulam hanc fluitantem pulchram & quàm artificioſiſſimè nexam deprehendamus, illam non niſi pulchrum, decorum & artificioſiſſimum naturæ opus judicare poſſumus. Non enim ullô modô concipimus, quomodo natura in aberratione, quæ ſemper eſt ad deterius, opus adeò elegans producere potuiſſet.

§. XXI. Sed ſi ſecundum Naturam eſt hæc inſula, quæ ejus utilitas? quis finis? *DEum enim & Naturam nihil facere fruſtrà*, notiſſimus canon eſt phyſicus. Et Ariſtot. Lib. II. Phyſic. Cap. VIII. tex. 77. & ſeq. probat variis argumentis, reverà rerum naturalium ſemper dari finem, quæ compendiosè exhibet ſuper hunc locum Magirus jam cit. locò & pag. 50. hiſce verbis: *Omnis Natura, cum univerſalis, tùm particularis, alicujus gratiâ agit, adeòq; à fine omnes Naturæ operationes reguntur. Verum itaq; eſt illud: Natura nihil fruſtrà & temere, ſed omnia finis gratiâ facit. Ariſt. 2 Phyſ. c. 8. Nam I. impoſſibile eſt, ea, quæ fiunt, ſemper aut plerumq; evenire caſu, res autem naturales ferè ſemper eôdem modô oriuntur. II. in finis adeptione conquieſcunt naturalia, ideoq; fiunt & aguntur ob illum III. Artificioſa etiam cauſa alicujus ſunt, ergò multò magis, quæ naturâ conſtant; Ars enim naturam imitatur. IV. Et manifeſtò videmus animalia, in quibus nec ars, nec inquiſitio, nec conſilium, nec προαίρεσις locum habet, agere propter aliquem finem, cur ergò non etiam natura? Ariſt. ibid. tex. 77. & ſeqq.* Ulterius progreditur Caſp. Schottus in Phyſica Curioſa Lib. V. de Mirab. Monſtror. Cap. XXIX. ubi evincere conatur, & vel ἁμαρτήματα Naturæ finem habere. Ita inquit p. 626. *Monſtra, tametſi Naturæ errores ſint, fine tamen nequaquam carent, quicquid Stagyrita contrà ſenſiſſe dicatur a non nemine. Certè à ſapientiſſimo rerum omnium moderatore Deo, nec fruſtrà, nec unum ſolum ob finem permittuntur -- Prima itaq; fi-*

nalis

nalis monſtrorum cauſa eſt,ut ſint ſignaDEI,volentis incautos mortalium animos monere,aut ſanare: Sic ut enim per ſomnia,per prophetarum oracula, per varia prodigia, ita & per monſtra atq; monſtroſa præmonere ſolet,non probos modo & cultui ſuo addictos, ſed improbos quoq; & pag.619. *Non ſigna tantùm, ſed ſupplicia quoq; ſunt monſtra, à DEO ſcelerum ultore, vel in ipſos monſtroſos, vel perentes, vel magiſtratus, vel communitates inflicta; idq; variis modis, ob varia peccatorum genera.* &c. Ad quæ tamen reſpondemus, non opus fuiſſe hac in materia Ariſtotelem refutare. Omninò enim monſtra, in quantum à natura proveniunt,& ab ejusdem intentione aberrant, fine *naturali* carent. Quomodo enim natura, dum aberrat à ſuo ſcopo, eò ipſô, dum ſponte non aberrat, finem aliquem intendere poteſt? Veluti enim vir prudens, qui ſpontè non aberrat ſua actione à ſcopo,eâ ipsâ aberratione certum finem intendere nequit: ita neque natura, in quantum aberrat, errore ſcopum ſibi præfigere poteſt. Accedit, quod omnis finis ſit ex intentione, monſtra verò ſint præter Naturæ intentionem. Quod verò DEus Opt. Maximus facere poſſit, ut monſtra cedant, vel ad hominum correctionem, vel ad eorum pœnam, id non accipiendum eſt pro fine Naturæ, ſed *USU Theologico*. Nam veluti DEus pro ineffabili ſua ſapientia ex omnibus hominum peccatis *bonum morale Theologicum* elicere poteſt, ita idem ex monſtrorum ortu elicere valet. Quibus præpoſitis noſtra ſtat ſententia, opera Naturæ,quæ hæc ex intentione efficit, finem ſemper habere, haud ita verò iſta opera, quæ ἁμαρτήματα vel Naturæ errores ſive peccata dicuntur. Proindeq; cum viderimus, inſulam Gerdavienſem opus ſecundum Naturam eſſe pulchrum,ſimul, quis ejusdem finis ſit ſalutaris, poſtulari poteſt.

§. XXII. Tenendum autem hic, omnium rerum phyſicarum *cauſam efficientem & finalem* haud ſemper manifeſtam

eſſe,

eſſe, utut certò ſciamus, eas nec causâ efficiente nec finali deſtituere poſſe. Quoad cauſam efficientem, obſervavit id G. B. de Saint Romain in Scient. Natural. Cap. VI. p. 29. *Difficile admodum, inquit, rationem ſolidam, ac ſufficientem, omnium experientiarum, quotidiè in rerum natura obviarum, dari. Reverà,in admirationem haud exiguam trahimur,videntes ferrum à magnetis præſentia moveri, & ad eum ſenſu quôdam quaſi & cognitione præditum accedere. Palma mas ſterilis eſt, niſi ejusdem ſpeciei fœmina propè eum plantata ſit; quod ſi fluminis cujusdam curſu ſeparentur, utrumq; ad invicem inclinantur, ac ſi ſe mutuò amplecti vellent. Teſtudinis unius fides in cameræ unô angulô pulſata, alterius teſtudinis fidem ad eandem altitudinem tenſam non autem aliam reſonare faciet, in oppoſito angulo. Nunquam non gallus, eô momentô,quô ſol ſuprà horizontem aſcendere incipit,cantitabit & alis plaudet.* Quoad cauſam finalem peræque indubium eſt, modò hæc vel illa naturæ opera fuerimus contemplati ac finem illorum meditari velimus, quem ſæpenumerò difficulter definire poterimus. Quare & propriam cauſam finalem inſulæ natantis ad amuſſim explicare, admodum diffiicilè judicamus. In multis tamen rebus naturalibus, ſi proprius finis obſcurus eſt, manifeſtus certè finis hic eſt generalior: *Oſtendere peculiari modô naturæ mirum artificium ejusq; inſignem pulchritudinem.* Sic mirô artificiô nidos avicularum contextos videmus, cum ſufficeret iisdem in confuſo ſtramine vel foliorum inordinata congeſtione ova parere, eaq; excludere, ſæpè reperimus certa lapidum genera, in quibus miræ figuræ expreſſæ videntur. Succinum ſimiliter fricatum ſtramen & particulas chartæ attrahere, notum eſt. Quæ omnia hunc in finem eſſe puto, ut exindè diſcamus, naturam variam, elegantem & mirandam artificem agnoſcere. Quid ergò dubitaverimus, & hujus inſulæ Gerdavienſis natantis finem, proprius ſi dici nequeat, hunc generaliorem,

dice-

dicere, quod ſuâ pulchritudine & ſtructuræ mirò artificiô pulcherrimam & artificioſiſſimam Naturam novô modô ſiſtere & quaſi in tabula depingere debeat? Putas verò hunc finem eſſe haud alicujus momenti? Maximus profectò eſt. Quippe eô ad pietatem pulchrâ viâ ducimur, ſiquidem vel eô Autorem & directorem Naturæ pulcherrimum, omnipotentem & ſapientiſſimum magna ex parte colere & adorare diſcimus.

§. XXIII. Volunt tamen ex Gerdavienſibus aliqui ex motu inſulæ hujus natantis imminentem tempeſtatem gratam vel ingratam agnoſcere. Si enim ventô pulſa eſt ad partem F., pulchram & amœnam conjectant tempeſtatem, ubi verò verſus cataractã ſe conſpiciendam dat, ventoſam tempeſtatem augurantur, alibi ubi conſpicitur, indifferens & incertum cœlum ſuſpicantur, atq; utplurimum non falluntur, indeq; etiam hanc inſulam *Kalendarium Gerdavienſe* appellare non dubitant. Quâ certitudine hæc nitantur, jam non examinabimus. Certum tamen eſt, & hoc in paſſu miram eſſe naturam, atq; multis modis & notis tempeſtatem indicare ſolere. Multis in locis ipſi obſervavimus, lapidum in muro hærentium humiditâte pluviam, ſiccitate verò ſerenum cœlum certò deſignari. Quin & gallorum cantu mutationem temperiei denotari, plurimi tenent, fortè & idem Inſulâ Gerdavienſi natante præſtare vult natura. Certior verò motûs inſulæ hujus hæc eſt utilitas, quod illum ſemper varia ſequantur piſcium genera, quæ magna in copia ibidem commodè haberi poſſunt, ad quemcunq; locum inſula appulerit. Cauſa ſine dubio eſt, quod in paluſtri inſulæ materiâ gratum piſcibus ſit alimentum, quod ubi movetur, ſimul piſces movet. Deniq; noſter jam finis hic eſt, ut hujus inſulæ natantis meditatione ad pias laudes ſuſcitemur, ſapientiſſimo rerum omnium Autori & Directori ferendas. Indeq; illius contemplatione de novo commoti, relinquimus.

SOLI DEO GLORIAM.

TErra natans una quæ quondam Gerdavienſes
Cingebat maſſa, nunc quaſi ſciſſa meat,
Et tacito eloquio quam ſenſim ſingula perdat
Tempus edax rerum ſignificare cupit.
Ne diſcerpatur prorſus ferventibus undis,
Maturam lacero ſyrmate poſcit opem.
Hanc tu NOBILE PAR præbes, dum remige penna
Illi ſeclorum per mare pandis iter.
Sive natans igitur manet inſula, ſive fatiſcet,
Circa te laudis ſplendida gaza natat.

Gratulab. applaudebat

M. MICHAEL HOYNOVIUS,
Scholæ Palæopolit. Rector.

CUncta per aërios volvuntur corpora tractus,
Qua liquidum moles fervida tranat iter
Innatat Oceani tellus innabilis undis:
Quam colimus, fertur vortice terra ſuo.
Quæ, Gerdave, tuas conto natat acta per undas
Inſula, maternum Nata imitatur opus.
Dum per Avi Patrisque pios ruis impiger auſûs,
Major Caſtaliis laus Tua nabit aquis.

His verſiculis Doctiſſimo Dno. Reſpondenti avitæ laudis gloriam ominatur gratulab.

M. MICHAEL STOBÆUS.
Pro-Rect. Palæop.

ES rühme Spanien den ſtillen Guadian,
Der in der Erden Bauch verborgne Gän-
ge heget;
Es rühme ſeinen Baum die Inſul Cimbuban,
Der / wenn er abgehaun / ſich von der Stell be-
weget;
Es rühme ſich Pozzol der heiſſen Waſſer-Fluth
Die durch ſo manche Quell viel Krancken Leutē nützet;
Es mag Sicilien bewundern jene Gluth
Die ihm der Mongibell aus ſeinen Adern ſpritzet.
Es rühm was ſonderes bald diß / bald jenes Land /
Und daß Harpaſens Felß von ſeiner Stelle weichet
So bald er nur gerührt von eines Menſchen Hand;
Und daß Olympus Spitz das Wetter nie beſtreichet.
Es ſey vor langer Zeit von Delos diß erzehlt /
Daß dieſe Inſul ſey im Meer herumgezogen /
Daß ſie bald dieſen Ort / bald jenen ſich erwehlt /
Hat doch das Alterthum uns hier und dort betrogen:
Doch wer von Seltenheit ja etwas ſchauen will
Der geh nach Preuſſen hin / und ſeh die Inſul
ſchwimmen /
Als die nur ſtille liegt wenn Wind und Wetter ſtill /
So wird er auch gar leicht Dir ſuchen beyzuſtimmen.
Indeſſen wünſch ich Heyl zu dieſem deinem Fleiß /
Daß DU in Studien mögſt immer weiter gehen /
Und nach gehabter Müh und wohlgeſaltznem Schweiß
Ein feſtgeſetztes Land der Glückes-Inſuln ſehen.

Durch dieſe Zeilen hat ſeinem Bruder gratuliren /
und zu fernerem Fleiß aufmuntern wollen

GEORGIUS SIGISMUNDUS Raſt /
L.L. Stud.

COLUMBIA UNIVERSITY
0032258607